DE OBEDIENTIA A SAECULARIBUS PRESBYTERIS IN SACRA ORDINATIONE...

DE OBEDIENTIA

A

SAECULARIBUS PRESBYTERIS

IN SACRA ORDINATIONE PROMISSA

QUAESTIONES TRES

CANONICO—THEOLOGICAE

PER

SACERDOTEM FRANCISCUM BOSELLO

ECCLESIAE S. VITALIS VICARIUM

IN VENETI CLERI CONVENTU ENUCLEATAE

VENETIIS

EX TYPOGRAPHIA ALOYSIOPOLITANA

MDCCCXXVII

Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo .... morietur homo ille, et auferes malum de Israel.

DEUT. 17. 12.

OPTIMO AC DILECTISSIMO AMICO

FELICI BELLEMO

ECCLESIAE CLODIENSIS DIACONO

SALUTEM PLURIMAM

Opellam hanc, carissime FELIX, *quam nec opinans, sola obedientia motus, tres ante annos scriptis mandavi, quamque legi in publico Veneti Cleri conventu, postea a nonnullis magni nominis viris perpensam, modo in lucem edere statui. Idque, non ut Theologi famam acquirere exoptem, (cur enim, si nequeo, ignoroque tam digno nomine salutari cupio?) praecipue cum, nescio, aut nescire fingo si velis, qua causa ejusmodi laudem perpauci nostri saeculi homines mereantur: neque ut vel ratiocinandi methodo, vel verborum delectu, vel argumenti novitate alios edoceam. Quisque sapiens judicet an ipse scribendi stilus, forsan nimis humilis, quo juxta Scholarum morem uti in mea disceptatione minime erubui, ostendat, necne, me noluisse scientiam, qua careo,*

propalam reddere, nec illius virtutis, de qua sermonem instituo, praecepta exhibere.

Igitur ad impediendam tantummodo hac in re, pro viribus meis, notionum confusionem, qua (utinam non!) aevi nostri hominum mentes innumerae scatent; et insuper ad mutuam inter nos, o mi Felix, animorum conjunctionem in dies statuendam, hoc imbelle studiorum meorum opus, et aliorum consilio permotus in lucem proferre, et in amicitiae meae testimonium tibi dicare constitui. Nec aliis, quam Tibi, profecto illud offerendum erat. Jam in Diaconatus ministerio per canonicum temporis curriculum divino Altari hactenus inservisti; jam quintum vitae tuae lustrum a Tridentino Concilio praescriptum, ut Sacerdotium conferri queat, aggressus es; jam Vocationis tuae metam, sub judice praeclarissimo JOSEPHO MARIA PROVEDI *egregio Antistite tuo, cujus est tibi manus imponere, cito continges. Faxit Deus, ut citissime ad tantum honorem evectus lucerna in domo illius ardens et lucens efficiaris; juxta cor ejus et animam agens fideliter in ministerio tuo, quamdiu es, illud honore debito prosequaris; et terrestrem hanc Jerusalem, Ecclesiam nempe, a cujusvis generis hostibus tuearis: vere potens factus, ut in solida ac sana, non fallaci et adscititia doctrina Christi familiam horteris, atque eos qui contradicunt pietate, scientia, ac zelo arguas invictus. Talibus ministris eget Ecclesia mater; talemque futurum Te, per tot non communes casus, per tot ardua discrimina rerum ad Altaria sua, quasi manu ducens, Deus patefecit.*

Macte ergo virtute: qui caepit opus bonum *in te*, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. *Accipe opusculum meum, quodcunque sit; illud meditare; et infirmo scriptori parcens illud exequere Sacerdos effectus. Supremum Numen etiam pro me semper exora, ne forte dum scriptis Tibi, aliisque praedicaverim verbo, ipse reprobus efficiar. Vale.*

Dabam Venetiis die 30 *mensis Septembris anno* 1826.

In verae amicitiae argumentum
PRESB. FRANCISCUS BOSELLO.

QUÆSTIONES

Ad Jus Canonicum et Moralem Theologiam pertinentes, quae in Congregatione Casuum Conscientiae habita a Clero Veneto animarum curam gerente die 8 Aprilis anno 1824 ad publicam trutinam fuerunt revocatae.

Qu. I. *Quid de obedientia a Clericis saecularibus proprio Episcopo in Ordinatione promissa?*

Qu. II. *Ad quid ordinatum ipsa obliget; et numquid ad illam cum gravi quoque damno teneantur Clerici, imo etiam cum propriae vitae discrimine?*

Qu. III. *Quid juris per eam potest sibi Episcopus in ordinatos vindicare?*

Etsi mihi prorsus inopinanti praefati argumenti evolvendi fuerit demandata provincia; etsi nemo, quod ego noverim, illud ex professo, ut ajunt, pertractaverit; etsi denique mearum infirmitas virium expectationi vestrae, praestantissimi Sacerdotes, in perfecta subjecti hujusmodi illustratione respondere nequeat; quippe quia et vastum et arduum nimis intuitu primo perspicitur, tum intrinseca excellentia qua pollet, cum ob hominum opiniones varias, quae plerumque non juxta unicae veritatis canones, sed secundum cordis desideria, Protei instar, mutant faciem: practice tamen virtutem ostendens, de qua hodie in isto verendo consessu agere oportet; credito mihi muneri satisfaciam, benignitatem vestram propitiam exposcens, et talem fore confidens. Idque eo magis postulo, quo triplex exhibita

quaestio doctrinae compendium jure meritoque appellari potest, quam opus est haurire et ex Canonici Juris legibus, et ex Theologicis tractatibus, et ex ipsius rectae rationis usu, quae semper orthodoxae Ecclesiae Dogmatibus et Canonibus subdita potest et debet etiam in sacrae Theologiae Disceptationibus locum aliquem occupare. Quapropter hisce veritatis fundamentis innixus, ne in perarduo itinere deviem, conabor; et in primis generice prorsus de obedientia a saecularibus Clericis in Ordinatione promissa sermonem agam: peculiariter inde perpendam ad quid ipsa ordinatum obliget, et intra quos limites, utrum nempe cum gravi damno, necne: quid juris denique in ordinatos per ipsam exercere Episcopus valeat, pro viribus exponam. Si patientiam vestram, Sacerdotes ornatissimi, forsan nimia verborum prolixitate defatigabo; merito arguite scriptoris imperitiam: at mementote argumentum ex se non minus esse grave quam amplum valde, utpote illud quod non brevis chyrographi, sed magni tractatus materiam exhibet. Incipiam.

QUÆSTIO I.

Quid de obedientia a Clericis saecularibus proprio Episcopo in Ordinatione promissa?

Sancta Dei Ecclesia militans in terris et pugnans contra visibilia atque spiritualia nequitiae, quae adversus Christum aeque ac animas ab ipso redemptas in unum convenerunt, velut castrorum acies ordinata terribilis in Scripturis sacris depingitur. At sicuti exercitus quisque, quantumvis innumeras vires habeat, ad nihilum pene redigitur, nisi ab unico supremo Duce copiae universae pendeant; ita cum fieri nequeat ut Caput istud milites singulos moneat, exploret, in omnibus dirigat, opus est etiam ducibus

aliis primo duci subjectis, quibus variae illis commissae peculiares turmae omnimode pareant; mutuaque haec militum ducibus et ducum summo Imperanti subjectio illam virium et actionum unitatem miram constituit, qua facilius profligatur hostis, quam si innumera hominum agmina vel absque capite vel minime ducibus subdita certamen aggrederentur. Haud aliter instruitur Ecclesia Christi. Unico visibili Capiti Romano Pontifici, cui jure divino et oves et agnos pascendi ac regendi cura commissa fuit, obedire ac subjici tenentur universi Antistites, cujusvis ordinis Clerci, laicusque grex baptismate ablutus: singulis Episcopis vero singularum Dioecesum incolae, praecipue Clerus, sicut caeteris quibuscunque Praelatis jure institutis subjectionem ac reverentiam immediatam debet gregis portio illis secundum canonicos limites credita. Hujuscemodi subjectionis vinculum aureum veram Dei Ecclesiae unitatem sustinet, schismata tollit, charitatem nutrit, fidem fovet, animas ad aeternae salutis portum perducit. Porro necessitas tantae virtutis effecit, ut Episcopus ante Consecrationem, Abbas ante Benedictionem, Archiepiscopus ipse ante Pallii susceptionem, Monachus dum Religionem solemniter profitetur, et saecularis Sacerdos Ordinationis tempore genibus flexis ante Dei Altare profiteantur, praeter illam quam debent ut Catholicae Ecclesiae membra et Evangelii asseclae, peculiarem et fidelem obedientiam se praestituros illi qui eis immediate praeeminet juxta gradus Ecclesiasticae Hierarchiae. Abbas vero, Episcopus, et Archiepiscopus obedientiam ipsam Petri successori ac Romanae Ecclesiae pollicentur; Monachus Praelato suo, saecularis Presbyter Dioecesis suae Ordinario: et in hoc solummodo discrepant inter se quod Abbates, Episcopi, Metropolitae per sancti Evangelii contactum firmiter jurant, Deum ipsum veluti testem invocantes, Monachi autem solemniter votum eliciunt, saeculares vero Sacerdotes publicam

promissionem emittunt. Hic vero quodcunque de Pontificum vel Abbatum jurejurando necnon de Monachorum Voto examen praetereamus, quia de praefata Clerici promissione tantummodo sermo nobis proponitur.

Promissio haec nec veluti vana caeremonia, nec tanquam futilis verborum formula habenda est: sacrum Theologi nomen non meretur qui Ecclesiae Ritus inutiles vel rationis expertes auderet appellare, indeque aut pro lubitu omitteret, aut privata auctoritate mutari posse cum heterodoxis doceret. Haud utilia minime praecipit Ecclesiae Spiritus, utpote Spiritus Dei, qui semper unus idemque est: ac proinde licet in antiquis Lyturgiis, quae ante saeculum octavum per Catholicum orbem Pontifices sancti instituerant, ritus ejusmodi non reperiatur; fundamenta tamen innumera occurrunt ex Patribus et Conciliis desumpta, ut obedientiae perpetuitas, de qua est sermo, invicte demonstretur. Invenimus enim in sacris Canonibus (Caus. XI. q. 1.) Clementem I. initio Ep. 3. ita scripsisse: *Si vobis Episcopis non obedierint omnes Presbyteri.... non solum infames, sed et extorres a regno Dei et consortio fidelium, ac a liminibus sanctae Dei Ecclesiae alieni erunt.* Et aliud ejusdem Pontificis testimonium praeclarum relatum in Canone *Cunctis* sic docet: *Cunctis fidelibus, et summopere omnibus Presbyteris .... attendendum ut nihil absque propri Episcopi licentia agant.* Et D. Ignatius Martyr in Ep. ad Smyrnenses ita scribit: *Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri;* alibi vero, nempe Ep. ad Polycarpum sic loquitur idem sanctus Martyr: *Meam animam libens commutavero cum animabus eorum qui Episcopo parent, Presbyteris et Diaconis.* Etiam transacto Apostolico saeculo, Patres uno ore eamdem praedicant veritatem. *Ut chorus aspicit ad coripheum, et nautae ad gubernatorem, et acies ad Imperatorem:*

ita etiam ad Ecclesiae ducem ii qui sunt in Ecclesiae caetu. Haec sunt verba D. Gregorii Nisseni hom. 2. in Eccles. Ad Nepotianum Sacerdotem scribebat D. Hieronymus : *Esto subjectus Pontifici tuo, et quasi animae parentem suscipe.* Divus autem Ambrosius lib. 1. Off. c. 27 : *Episcopus*, ajebat, *ut membris suis utatur Clericis, et maxime Ministris qui sunt filii.* Et ut alios Patres brevitatis ergo omittamus, Synodicas Constitutiones scrutemur. Audiatur Apostolicus Canon N. 38, qui licet non sit stricto sensu Apostolicus, ut eruditi ostendunt; certe tamen Ecclesiae disciplinam tertii et quarti saeculi nobis ostendit. En Canonis verba : *Presbyteri .... absque voluntate Episcopi nihil peragunto: ipsius enim fidei populus Domini commissus est, et pro animabus ab ipso repetetur ratio.* Huic doctrinae apprime consonat Laodicense Concilium cap. 57, ubi haec leguntur: *Presbyteri sine Episcopi consilio nihil agant.* Idem repetit Arelàtensis Synodus I. cap. 18. his verbis: *Presbyteri sine conscientia Episcoporum nihil faciant.* Et Concilium Toletanum XI. sub saeculi septimi finem celebratum singularem et omnimodam praecipit obedientiam quibuslibet Clericatus honore insignitis. En verba hujus Synodi quae habentur cap. 10, quaeque postea relata sunt in Ecclesiae Canone Dist. 23. cap. *quanquam omnes : Quanquam omnes qui sacris mancipantur Ordinibus, canonicis regulis teneantur adstricti; expedibile tamen est, ut promissionis suae vota sub cautione spondeant, quos ad promotionis gradus Ecclesiastica probat disciplina. Solet enim plus timeri quod singulariter pollicetur, quam quod generali sponsione concluditur.* Multo magis ergo quam caeteri Clerici, minoris vel majoris gradus Sacerdotes obedientiae vinculum obligat, recte proponente eodem Canone magni et divi Leonis verba, quae habentur in Epist. ad Anastas. Thessal. Episcopum : *Qui scit se aliquibus esse praepositum, non*

moleste ferat aliquem sibi esse praelatum: sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat.

Tam excelsae virtutis violatores, forsan auctos in dies, eodem octavo saeculo coercuit Ecclesia solemnem ritum inducens petendi a Clericis promissionem se Ordinario suo fore obedientes, quo die ad Presbyteratus gradum evehuntur: et re quidem vera ex illo aevo usque ad nos per circiter mille annorum curriculum viguit ritus sanctissimus, de quo disputationem habemus. Namque in pervetustis Codicibus reperimus, licet non in fine, ut hodie, sed sacrae Ordinationis initio Episcopum hisce verbis coram omnibus Clericum interrogasse: *Vis Episcopo tuo, ad cujus parochiam* (juxta veterum morem *dioecesin* intellige) *ordinandus es, obediens et consentiens esse secundum justitiam et ministerium tuum!* Ordinem suscepturus *Volo* respondebat. Historia docet Episcopos quosdam nequaquam solemni hac promissione contentos tunc temporis jusjurandum veri nominis a Clericis postulasse, quo promitterent se fore canonicis regulis, Antistiti suo, et Ecclesiae fidos ac omnino devinctos. At petitionem hujusmodi minime approbatam fuisse apud Gallos novimus: in Synodo enim Cabilonensi anno 813 celebrata, uno ore Patres universi jusjurandum, de quo sermo, quia periculosum valde, inhibendum decreverunt. Caeterum eo loci ubi hoc juramentum vigebat, legitimum censebatur et obligans. Habemus enim Fulberti Episcopi Carnotensis testimonium insigne undecimo saeculo, qui crimen Lisiardi Archidiaconi Senonensis Ecclesiae rebellionem moventis in Archiepiscopum suum per jurisjurandi in Ordinatione praestiti vim magis auctum esse demonstrat. Et, quod pluris est faciendum, inter sacros Canones Cap. *Cum Clerici* sub N. 19. de verb. signific. invenimus legem Innocentii III. manifestis jussibus declarantis *per juramentum fidelitatis et obedientiae, quod praestabant, Placentinae Ecclesiae*

Clericos Episcopo, tanquam Capiti, principaliter obligari.

Temporis tamen progressu, jusjurandum, de quo loquimur, ubique obsolevit, omnesque norunt Romanam Ecclesiam Ecclesiarum omnium matrem atque magistram, solemnem tantum promissionem, absque ullo jurejurando, petiisse et petere a Presbyteris sub sacrae Ordinationis finem, qua testantur eorum pro tempore existenti Ordinario Praesuli obedientiam ac reverentiam se praestituros. Hanc vero promissionem ratam habendam esse et perpetuam, facto declarat Ecclesia; non tantum quia coram Deo, populo adstante, ante sacrum Altare, *vociferationis Hostia* vix immolata, illam exposcit; perinde ac si coelum terramque in testes advocet tremendi illius verbi *Promitto*, quod proferunt neo-Sacerdotes; sed quia sedentis Pontificis, et proni flexis genibus Sacerdotis manus conjunctae veri nominis faedus, quod ineunt, ostendunt. Solebant enim veteres Patres nostri in faederibus ineundis dextras conjungere, atque ita mutuam fidem tanto ritu pollicebantur. De hoc sic scribit Alexander ab Alexandro lib. 2. Genialium dierum cap. 19: *Dexteram porrigimus, si quid data fide futurum pollicemur: in ipsa enim fidem sacratam Numa Pompilius voluit, Sacrumque fidei instituit, ad quod flamines curru arcuato, manu ad digitos involuta, solemni pompa vehi jussit, magno argumento illam in dextris sanctam, sacratamque, et propterea minime violandam ratus.* Porro ad sanctius objectum nonnullos veterum mores Ecclesiam transtulisse, neminem latet: ac proinde etiam praefati sanctissimi faederis, quod inter Presbyterum et Episcopum tanta solemnitate sancitur, quis unquam inficiabitur robur? Ipsa enim ratio docet quodcunque promissum, tametsi nullo jurejurando firmatum, naturali jure promittentem adstringere, donec quod promisit impleverit, nisi aliunde a praestanda fide legitime liberetur.

Sacra igitur semper fuit in Ecclesia Dei, vel ab ejus primordiis, obedientia singularis, quam praestare tenentur Episcopo saeculares Presbyteri; sacer publicus ritus promissionis istius coelestis virtutis, qui hactenus decem saeculorum venerabilem pandit originem; sacrosancta ergo erit et obligatio obediendi, quam contrahunt Clerici illa die, qua prima vice obedit eis, dum consecrationis divina verba pronunciant, ipsemet Christus Jesus, antequam obedientiam Episcopo publice spondeant. Quamobrem pessime omnino agunt Presbyteri quidam, qui tantam illius diei sponsionem obliti, acephali vocari possunt: quippe quia non tantum resistentes Episcopi sui mandatis canonicis, illa nunquam adimplent, ni forte aliquando coacti, sed insuper, quod pejus est, turbas commovent, zizania serunt, auctoritatem contemnunt. Hos, si qui sunt, (utinam non!) rebelles Dei Sacerdotes argueret D. Bernardus gravissimis verbis illis: *Pilato Dominus adstitit judicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper. Ite nunc ergo, resistite Christi Vicario; cum nec suo adversario Christus restiterit.* Ep. 42. ad Henr. Senon. Faxit Deus, ut tandem resipiscant, et cum eodem D. Bernardo, poenitentes clament: *Stupenda insania! animarum non cunctor turbas mihi custodiendas colligere, et unum super proprium gravor habere custodem.* (dè morib. Episcop.) Subjaceat ergo Presbyter custodi suo, Episcopo scilicet, quem ut custodem animae et ministerii sui se perpetuo habiturum pollicitus est solemni illa sponsione, quam non inutilem ritum esse, sed juxta Ecclesiae spiritum, et Patrum testimonia, et omnium saeculorum consensum vere obligantem pro viribus hactenus demonstravi. Intra quos limites vero promittentem adstringat eadem promissio, quaestio secunda ostendet, cujus tractationem aggredior.

QUÆSTIO II.

Ad quid ordinatum praefata obedientia obliget; et numquid ad illam cum gravi quoque damno teneantur Clerici, imo etiam cum propriae vitae discrimine?

Fateor quidem me loqui trementem adhuc quaestionis hujus partem secundam solvendo; dum menti meae hactenus exposita repetenti, praeter magnum illud verbum *Promitto* tanta ritus sanctitate a neopresbyteris emissum, etiam monitum illud occurrit, quod Episcopus totius Ecclesiae nomine Acolythis praebet sacrum Subdiaconatus Ordinem praestolantibus: *Filii dilectissimi, si hunc Ordinem susceperitis ... oportebit vos in Ecclesiae ministerio semper esse mancipatos.* Conferens enim admonitionis hujus gravissima verba, et sponsionis praefatae demonstratam obligationem, denique Sacerdotalis ministerii altissimum finem, quem ex Christi Domini verbis discimus esse: *Posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat.* (Joh. 15. 16.); asseram oportet, absolute loquendo, saecularibus Clericis parendum esse semper Ordinario suo legitime praecipienti sive oretenus, sive per scriptas Constitutiones, sive per Synodalia Statuta, in omnibus quae juxta sacrosanctos Ecclesiae canones ad Sacerdotii statum et opera spectant.

Si vero singulares casus, quibus haec obedientia a Presbyteris est adimplenda, inquirere auderem, in infinitum absque dubio disputatio procederet. Nihilominus generalia quaedam statuantur principia, per quae difficillima haec questio dissolvatur, antequam peculiaria quaedam ad illam attinentia perpendamus.

Et primum. Quicunque Clerici Ecclesiasticum

beneficium obtinuere, vel Ecclesiae redituum quomodolibet participes sunt, arctius Pontifici suo obedire tenentur: illos enim peculiari modo Ecclesiae servitio devinctos justitia urget. Per hoc tamen ab obedientia Episcopo debita caeteri etiam Clerici non liberantur: sed multo majus esse obedientiae pondus justitia innitentis, quam non, quisque sapiens fatebitur.

Principium alterum, si imperantis auctoritas inspiciatur, ut obedientiae hujus limites spectentur, in promptu esto certissimum: In iis quae jubet Episcopus canonica auctoritate qua pollet, obediat Clericus simpliciter in omnibus, prompte; nec quaerat, ut verbis utar D. Augustini (Serm. de Obser. Cler.) cur, quare, quamobrem jubeat. Æque pareat in illis quae dubio jure ab Ordinario suo praecipiuntur; nam de majoris sententia judicium proferre minime debet ille, cujus est obedire: et cum hoc in casu certa juris possessio stet pro Episcopo, licet dubium sit, ne, (quod absit), propria auctoritate abutatur, Clerici obedire tenentur. Contra in iis quae manifeste universae Ecclesiae Canonibus adversantur, ni forte pateat Sedis Apostolicae delegatio, parere Clericus non obligatur, quia deest omnino auctoritas in praecipiente. Quamvis enim Episcopus positus sit a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, ideoque potestate jubendi legesque ferendi gaudeat in Christi corporis aedificationem; cum sit tamen custos et defensor, non dominus, universalis Ecclesiae Canonum; minime potest, nisi in casibus a Jure permissis, contra illos statuere ea, quae tantummodo ad Ecclesiam, vel Romanum Pontificem de potestatis plenitudine pertinent.

Tertium denique principium firmetur. Promissio quaelibet sub aliqua culpa promittentem ligat. Etsi enim inter Theologos adhuc sub judice lis sit, cum quaerunt utrum simplex promissio, etiamsi materia sit notabilis, obliget, an non, secundum se sub mortali reatu; attamen communis sententia docet,

praeceptore D. Thoma (22. q. 88. a. 3. ad 1.) promittentem saltem sub levi ad implendum quidquid pollicetur teneri. Ut cunque idcirco res sit de hoc, inferendum est neo-Presbyterum per promissionem, de qua sermo, sub culpa ad illud exequendum teneri, quod, caeteris paribus, Episcopus praecipit. Hujus igitur obedientiae vinculum primum est sacra Ordinatio, strictiores nexus sunt Ecclesiae reditus, Canones sunt limites, transgressio peccatum.

His positis fundamentis, si peculiares quidam inquirantur occasiones, quibus saecularis Clericus Episcopo pareat oportet; ut clarius progrediar, tripliciter Sacerdotem quemcunque considero, privatim nempe quoad mores, quoad munera ministerii sui, quoad peculiarem Ecclesiae necessitatem. Singula breviter perpendamus.

Quoad mores, obedientiae promissio Sacerdotem obligat, ut Pontifici suo et monenti obtemperet, et juste punienti dorsum incurvet. Ab ipsa ratione edoctus talia implebit, veluti filius in patrem. In muneribus vero ministerii sui, quae praecipue ad Sacramentorum administrationem et Verbi Dei praedicationem reducuntur, Episcopo suo tanquam jurisdictionis ordinariae tribunali verendo debitum obsequium Presbyter exhibeat, ac veluti orthodoxae doctrinae magistro aures accommodet. Si denique Sacerdos tanquam ad peculiares Ecclesiae necessitates, et commune fidelium bonum praeelectus inspiciatur; quis non videt quantum obedientiae, in omnibus quae potis est, Pontifici suo rationabiliter imperanti praestare debeat? Assertionis hujus esto haec demonstratio.

Cum Diaconus ad sacri Presbyteratus Ordinem evectus fuit, audivit se inter duos et septuaginta Christi discipulos locum tenere (Pontif. Rom. de Ord. Presb.): ergo missus a Deo, non ut servus inutilis labores aliorum oculis tantum spectetur, sed ut probus ac maturus in scientia et opere constanter laboret.

Audivit se in Episcopi adjutorium promotum fuisse: ergo ut praedicatione et exemplo Dei familiam aedificaret. Audivit, ut caetera omittam, Pontificem ita pro illo Altissimum exorasse: *Sit providus cooperator ordinis nostri, ut bonam rationem dispensationis sibi creditae redditurus, aeternae beatitudinis praemia consequatur:* ergo pro communi Ecclesiae utilitate Sacerdos quilibet constituitur: ergo, cum id exigat vera necessitas, coeteris paribus, Pontifici suo aliquod ministerium jubenti obedire tenetur, quia est illius cooperator: ergo, cum sit ob manuum impositionem ad laborem vocatus, non autem ut tantummodo Breviarium legat Sacrumque conficiat, saecularis Presbyter sit promptus ad illa implenda, quae potest. Episcopi mandata, ut Fidelium bono sedulus operetur.

Doctrina haec, cujus forsan quaedam mollia Cleri membra pigebit, quorumque excusatio solet esse ad labores teneri solum illos qui Curam animarum gerunt; doctrina haec, inquam, quae ad universos attinet Sacerdotes, abunde pluribus Canonibus roboratur: inter quae satis superque erit reminisci quod asserit Benedictus XIV. Const. *Ex quo dilectus* sub n. 25. Tom. 2. Bullar., idest praefatae promissionis vigore Presbyterum ea lege inter alias, adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiae, nempe Dioeceseos, cui in Ordinatione addictus fuerit, sine licentia Episcopi discedere nequeat. Auctoritate innixus tanti Pontificis sic argumentor: Si obedientiae sponsionis causa in Sacerdotio suscipiendo peractae, adeo Presbyter Episcopo adstringitur, ut ex Dioecesi sine Praesulis licentia discedere minime possit; ergo Episcopus justis de causis hanc potest illi denegare. Si adsint causae istae, in Ecclesiae sue utilitatem vertent profecto; ergo Episcopus omni jure illius Presbyteri ministerio uti potest. Si illo Praesul utatur, ergo Presbyter obedire tenetur: aliter non esset illius coadjutor, ut esse debet, juxta verum Ecclesiae spiritum; et insuper

lex hujusmodi, nempe non discedendi a Dioecesi quin Episcopus annuat, supervacanea omnino dicenda esset. Porro quicunque jam dictam Pontificiam Costitutionem legere velit noscere poterit etiam laudatum Benedictum XIV. haud esse locutum tantummodo de Beneficia obtinentibus: nomine enim satis claro illam, cui *in Ordinatione* presbyter sit addictus, Ecclesiam indicat. Nec aliter immortalis Pontifex summus sentire poterat: legimus enim in Corpore Juris insertum Canonem hunc, cui coecus solum objicere valet: *Si quis Presbyter ... deserta sua Ecclesia, ad aliam transeundum esse crediderit, et ibi paulatim tentet, quo migravit, perpetuo manere. ulterius ministrare non debet, praesertim si ab Episcopo suo ad revertendum fuerit exhortatus. Quod si post vocationem sui Episcopi non obedierit, sed inobediens perseveraverit, omnimodo ab Officio suo deponi debet, nec aliquando spem restitutionis habere decernimus.* Caus. VII. Q. 1. c. 24.

Per tot igitur argumenta cum ex rei natura tum ex juris auctoritate deprompta, quilibet vere sapiens judicabit, num ultima haec definitio obedientiae, de qua sermo, sit necne veritati conformis; dum asserimus eamdem esse, si naturalia excipienda demas, quam debet filius in patrem. Quapropter ne fingat quidem Presbyter sibi esse parendum Episcopo, tanquam famulo in herum, tanquam subdito in dominum, tanquam captivo in tyrannum. Absit ut in Ecclesia Dei super gregem Pastores adimpleant, quod eis a beatissimo Apostolo Petro magnificis illis verbis vetitum fuit: *neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo* (1. Petri 5.). Absit ut Praesules obliviscantur magnum illud ejusdem Apostoli monitum: *Providentes* (gregi) *non coacte, sed spontanee secundum Deum.* Absit uno verbo, ut idea obedientiae quae ex necessitate ordinis in Ecclesia conservandi procedit, cum illa

quae ex Auctoritate dominationis originem habet; vel quae jugum dulcissimae submissionis expostulat, cum ea quae ex subjectionis vinculis gignitur, vel tandem quae ad Sacerdotalis ministerii exequenda opera intendit, cum ea quae ex personarum ac rerum dominio oritur, pessima confusione misceatur. *Omnis Pontifex*, et idem dicito de inferioris ordinis Sacerdotibus, *pro omnibus constituitur in iis quae sunt ad Deum*. (D. Paul. ad Heb.). *In iis* igitur *quae ad Deum* ipsum spectant, majori Praesuli inferiores obtemperent Sacerdotes; quippe quia Episcopis, utpote Apostolorum in ministerio successoribus, divinarum rerum depositum, tutela, et dispensatio, potiori modo quam caeteris Sacerdotibus, super agnos sibi subditos per missionem Petri committitur. Haec veritas ulteriori ex *facto* desumpto argumento confirmatur. Videmus obedientiae hujus sponsionem fieri semper post ordinationem sanctam a saecularibus aeque ac regularibus Sacerdotibus: et discrimen inter utrosque esse in hoc neminem latet, quod scilicet primi Episcopo, postremi vero ordinario Praelato suo obedientiam ipsam polliceantur. At quis ignorat Regulares fere omnes obedientiam, non tunc temporis, sed jampridem coram Deo et Ecclesia solemniter vovisse? Aliunde promissionem hujus virtutis implendae pro ipsis repetitum votum nemo unquam appellare ausus est: ergo haec promissio ad Ministerium spectat, quod nuper susceperunt: ergo obedire promittunt in iis quae Sacerdotii decus et opera exposcunt: ergo *in iis quae sunt ad Deum* haec obedientia illos adstringit, quia in iis quae sunt ad Deum per manuum impositionem fuerunt constituti. Utrorumque ergo, saecularium nempe ac regularium Presbyterorum, aequalis promissio in utrisque eamdem praedicat obligationem, eamque Episcopo vel alii Praelato, non secus ac filius parenti, in iis, quae sunt ad Deum, praestare debet Sacerdos, ut hactenus demonstratum

fuit: alioquin aut inutilis pro Regularibus est appellanda, quod absurdum esse nemo non videt; aut pro Saecularibus solemni Voto, quod aeque absurdum quisque dicet, parem esse fateri oporteret.

En ad quid neo-presbyteri obedientiam promittentes Episcopo absolute teneantur, quam si peragant, ut debent, cum Regio Psalte quisque illorum dicere potest: *Funes ceciderunt mihi in praeclaris*; praeclara enim sunt vincula illa quae cinxi, quaeque me cum Ecclesia et Episcopo vinciunt in iis quae sunt ad Deum: *haereditas mea praeclara est mihi*, quia Deum haereditatis meae et calicis mei in partem olim libenter elegi.

Ast finis esto genericae quaestioni propositae, quae sic fuerat inscripta: *Ad quid ordinatum obliget promissa obedientia*: mox *usquequo per hanc ille obligetur*, utrum *nempe cum gravi damno, imo cum vitae discrimine*, an non, perpendamus. Brevi plura dicantur.

Generale et firmissimum principium, ut est apud omnes Theologos ac Jurisperitos, ex ipsa ratione procedens nos edocet, quod in duarum legum conflictu, sicuti minime possumus utrique obtemperare, illa attendatur, quae alia dignor judicanda apparet: hinc quae positivo-humana appellatur divinae positivae, isthaec autem naturali juri locum cedere debet. Perdit enim tunc lex inferior ipsum legis nomen, quatenus ordinis unitas imperii unitatem postulat. Quocirca inferunt universi Doctores a lege humana nunquam hominem obligari, cum grave damnum immineat, et multo minus cum vita periclitetur; nisi forte ex illius transgressione contemptus divinae Auctoritatis procederet: nam hoc in casu, humano praecepto jus divinum naturale conjungitur, ad cujus honorem ac tutelam, vitam quoque impendamus oportet.

Hac veritate constituta, quisnam ibit inficias legislatoris cujusque mandato obtemperandum esse sive

scripto sive ore tenus promulgetur? Cuilibet obedienti Praesulis vox est imperantis lex. Ast pariter nemo non affirmabit Superioris praeceptum legem hominis esse: ergo, cum grave damnum occurrat, per se amplius non obligat, quoniam lex naturae hominem jubet proprio bono consulere, magnaque damna evitare. Quamquam igitur Presbyter Episcopo obedientiam spoponderit, et ad illam, quatenus valet, teneatur; attamen virtus haec nulla ratione adstringit, cum ex obediendo grave damnum procederet: alioquin sequeretur absurdum, quod nempe homo supra naturae jus constitueretur supremi Numinis aemulator.

Ex hoc principio multo magis eruitur propositae quaestionis ultimae parti quaesita responsio; per obedientiae scilicet sponsionem minime Clericum obligari ad mortis periculum subeundum; etenim neque illi quamvis subdito, neque Episcopo quamvis Praesuli vitae humanae arbitrium conceditur. Sit haec licet absoluta, sufficiens tamen doctrina, ut intelligatur quousque Presbyterum obliget promissa in Ordinatione obedientia. Caeterum casus aliquis, licet raro, dari potest, quo etiam cum damno gravi et vitae discrimine Sacerdos Praelato obedire teneatur. Fingatur enim, exempli gratia, diram pestem in aliqua Dioecesi grassari: fingatur ulterius Parochiam quandam undique clausam esse, ne morbus ubique saeviat: fingatur denique Parochum jam vita functum, et alium unicum superesse saecularem Presbyterum intra illa septa domum habentem. Si huic mandet Episcopus, ut Parochi vicem gerat, et proinde vitam cogatur exponere mortis periculo in Sacramentis, quae de *medii* necessitate sunt, administrandis; ne hilum quidem dubito asserere Presbyterum, de quo sermo, praeterquam ex charitatis praecepto, etiam ex sponsione peracta in Sacerdotio amplectendo, teneri, quodcunque discrimen aggrediatur, ad obedientiam; tunc enim ex superius allato

indubio principio lex naturalis-divina animas fidelium, imo quorumlibet hominum, in extremo damnationis periculo constitutas salvandi, praeeminet alteri legi simpliciter naturali fugiendae mortis; aliter divinae Auctoritatis contemptus patet: praecipue cum sit Sacerdos, qui non solum in Episcopi adjutorium per sacram Ordinationem adsumptus fuit, sed fungens vice Christi debet, ut ait S. Cyprianus de 12. abus. cap. 5., obedientiae suae normam sumere a tam illustri Magistro. qui obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, ignominiam libenter sustinuit, et ideo illum Deus exaltavit.

Alii casus forsitan accidere possunt, qui jam exposito assimilentur, quibusque ex allatis doctrinis in promptu est responsio, quin ulterius secundae hujus quaestionis tractatio progrediatur. Tertiam et ultimam igitur sola obedientia motus adire conabor.

QUÆSTIO III.

Quid juris per obedientiam a neo-presbyteris promissam possit sibi Episcopus in eos vindicare?

Difficillimae huic tertiae quaestioni non minimum responsio patet ex omnibus illis, quae nuper in secunda thematis parte fuerunt exposita. Cum enim Presbyteri Ordinario subditi obligationes, quae ex obedientia procedunt, ad trutinam fuerint revocatae, earum correlativum, ut ajunt logici, nempe jus praecipientis eruitur: ita ut queat absolute inferre unusquisque, posse Episcopum Sacerdoti ea omnia jure precipere, quae hactenus ordinato ipsi adimplenda demonstrata fuere.

Attamen aliquatenus hoc jus Episcopi perpendendum est, ut exhibitae petitioni satisfaciam; et illico generice asserere minime timeo Episcopum posse per obedientiam quam neo-presbyteri spoponderunt illa

omnia eos jubere, quae *ad canonum normam* Sacerdotii ministerium decent; quatenus praesertim et debent ipsi Episcopalis ordines coadjutores electi, et Ecclesiae ad quam spectant, temporum necessitates postulant. Assertio haec paucis verbis affatim demonstratur. Quicunque Sacerdos per sacrum Ordinem Dei minister est, et Ecclesiae, ideoque Episcopo subditur. Episcopus autem vicem Dei gerit, quia Pontifex, Ecclesiae suae utilitatem necessitatesque cognoscit, quia Rector, Presbytero in ministerio imperat, quia Praesul.

Hinc, ut ad quaedam peculiaria descendam, Episcopus habet jus praecipiendi, ut juxta canonum sanctiones Sacerdotes vitam degant; nempe, ut opera Sacerdotalia exercentes, habitu, gestu, incessu, sermone, nil nisi grave, sanctum, moderatum, ac religione plenum praeseferant. Ideo est etiam Episcopo omne jus prohibendi, ne Clerici theatra frequentent, aleis ludant, larvas induant, et similia peragant, quae Sacerdotem dedecent; ac inde praecipiendi ut vitia fugientes nemini praebeant offensionem ullam, ne vituperetur ministerium Christi. Praeterea jure certo exigit Episcopus a subdito Sacerdote laborem et opus in illis Presbyteratus muneribus, quibus indiget vere Ecclesia cujus est minister; nisi tamen graves adsint excusantes causae, sicuti mox dicetur.

Et quoniam, ut omnibus compertum est, ad Sacramentorum administrationem et Verbi Dei praedicationem praecipue Sacerdotii munera reducuntur; jure potest Episcopus, caeteris paribus, Sacerdoti cuicunque praecipere, ut Confessiones audiat et Religionem populum doceat. De hoc Episcopi jure circa Confessarios instituendos legatur B. Alphonsus de Ligorio (lib. 6. Theol. Mor. tract. 4. n. 625. per totum), ubi rem hanc fortissimis digerit argumentis, et probat teneri ex conscientia Sacerdotem ad audiendas Fidelium confessiones, certe ubi Ecclesiae gravis necessitas urgeat. Quoad jus vero obligandi

Sacerdotes, ut Christianae Doctrinae Scholis intersint, et divinam legem festis diebus annuntient, abunde loquitur Bened. XIV. in Bulla *Etsi minime* ad universae Ecclesiae Episcopos scripta (quae habetur Tom. I. Bullar. sub n. 42.) asserens posse Episcopos ipsos poenarum minis tantum opus Sacerdoti cuicunque praecipere, si renuat obedire. In tam diversa locorum ac temporum varietate, accidere potest, ut Christiana plebs divini verbi fame invita laboret, praecipue quia nimis dissitum a Parochiali Ecclesia domicilium habeat. *Occurrat*, inquit immortalis memoriae maximus Pontifex, *occurrat huic malo Episcopus*, *suamque auctoritatem objiciat*. At quomodo, si unus et idem Parochus ubique existere nequit? En sapientissimae Legis verba, quibus praefatae assertionis veritas demonstratur: *Quo vero ad parvas Ecclesias a Parochiali longe sepositas; cum difficile admodum sit Parochianos ob locorum distantiam, longum iter atque asperum, hiemali praesertim tempore cum pluviae inundant, Parochialem adire, ibique divinis officiis interesse, relicta Ecclesia proximiore; decernat Episcopus, gravibus etiam statutis poenis, quod Sacerdotes ibi operantes Christianae doctrinae summam populo tradant, divinamque legem annuntient*. Evidens est, non de beneficia obtinentibus, sed de Sacerdotibus quibuscunque inibi haberi sermonem; ac proinde thesis nostrae veritas eminet.

Denique, ut ad pecularia postrema disputatio redeat, habet Episcopus quodlibet jus petendi a Sacerdote quocunque, ut Ecclesiasticae disciplinae omnino se accommodet, quae in Dioecesi sua canonice viget, quaeque juxta morum, hominum, et regionum naturam variare potest, objiciens etiam auctoritatem qua gaudet infligendi Ecclesiasticas poenas, si illum non obedientem reperiat post salutaria monita, quae juxta Evangelium cuique peccanti, antequam puniatur, peragenda sunt.

Uno verbo ea omnia spiritualia jura sibi potest Episcopus canonicis formis in saeculares Presbyteros vindicare, quae sibi vindicat Pastor in oves, Rector navis in nautas, melius dicam: Christus in illos, quos aeterni Sacerdotii sui participes fieri voluit, ut militantis Ecclesiae membra, quam acquisivit sanguine suo, ad triumphantem in coelis Jerusalem operibus ministerii, perducerent. Quoniam vero cujuscunque mandati vel legis radix est rationabilis scopus; adeo ut illius obligatio, si ratione destituatur, cesset omnino; erit ergo rectoris cujuslibet illa inferiori praecipere, quae cum hujus indole, valetudine, dotibus, caeterisque relationibus convenire possunt: aliter periculum esset, ne post mandatum cernere cogeretur defectum in subdito, quin posset illum prohibere: quod quantum Superioris auctoritatis contemptui confluat, nemo non videt. A pari igitur Pontifex, sicuti condolere debet iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate, arguens, obsecrans, increpans in omni patientia et doctrina; ita, cum inter caeteras dotes juxta D. Pauli testimonium, (1. Tim. 3. 2.) *prudens* sit oporteat, quae vox juxta latinos etymologos *providens*, seu *procul videns* interpretata est; procul aspiciat Episcopus idem, num in peculiari casu, quo utens suo jure in virtute sanctae obedientiae aliquid Presbytero praecipit, vere omnia concurrant, necne, quae hunc ab obedientia exhibenda possint exonerare.

Namque Angelicus Doctor 1. II. q. 110. a. 3. ad 5. luculenter docet promissionem quamcunque neminem obligare, si postea quod promisit fieri omnino non possit, vel sit nocivum valde, vel forsan illicitum. En illius verba: *Si promissor non facit quod promisit... potest excusari... si sunt mutatae conditiones personarum et negotiorum: ut enim Seneca dicit: Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant.* Ergo non Religionis tantummodo, sed rationis

quoque naturali lumine nititur haec doctrina. Porro saecularis Clericus, quamvis obedientiam Episcopo sit pollicitus, utpote vivens in saeculo, versari potest in rationibus quibusdam familiae suae, vel patriae, vel peculiaris officii a Sacerdotio minime alieni quod actu exercet, praeter alia indolis, valetudinis, conditionis, ingenii, educationis impedimenta, per quae obedientia vel illicita fiat, vel adimpleri non possit, vel valde damnosa illi reddatur. Hisce in casibus, quamvis ex obedientia in Ordinatione promissa *absolute* imperare Episcopus Presbytero queat; *relative*, ut dicunt, jure suo uti nequit, attentis rationibus illis, per quas in promittente facta est temporaria obligationis mutatio: alioquin et in nihilum auctoritatem impenderet, et adversus rationem praeciperet, et insuper reipsa jure suo abuteretur, quippe quia sacri Canones aperte passim declarant non posse Episcopum Clericos cogere ad aliquod servitium praestandam quod non sit expressum in Jure. Legatur Caput *Quia cognovimus* 6 Caus. 10. q. 3., et assertionis hujus veritas magis magisque patebit.

Ex Canone isto declarationes plurimae Sacrae Romanae Congregationis Concilii procedunt, quae thesin allatam tanquam veritati inhaerentem omnino firmiorem efficiunt. Decrevit enim eadem Congregatio (9. Maji 1597.) non posse Episcopum compellere simplices Sacerdotes, ut publicis Processionibus intersint, sed illos tantum qui officia obtinent vel Beneficia. Alias (nempe 27 Jun. 1691. et 20. Mart. 1692.) respondit Sacerdotes praedictos, imo neque Beneficiatos non residentes cogi non posse ab Episcopo, neque in Synodo, ut Cathedrali inserviant Ecclesiae, non obstante exiguo Canonicorum numero; dummodo non agatur de illis, qui Cathedralis ejusdem Officium vel Beneficium obtinuere. Declarationes aliae laudatae Congregationis reperiuntur, per quas (Dec. 15. Mart. 1692.) decernitur non posse Episcopum cogere, sed hortari simplices Sacerdotes,

qui nondum ad audiendas Confessiones delegati fuerunt, ut Dioecesanis Congregationibus Conscientiae Casuum intersint: pariter invitare quidem posse illum, sed non compellere civitatis Presbyteros, ut Litaniis B. M. V. in Cathedrali die Sabbathi assistant; denique jus non habere addendi Beneficiatis nova onera, praeter illa quae Fundatores apposuere, vel a sacris Canonibus imposita sunt. (Vide Decr. 11. Jan. 1698.) Imo Canones sancti, quamvis jura magna concedant Episcopo per obedientiae sponsionem illi a neo presbyteris factam, quam firmissime statuunt atque praecipiunt, ut vidimus in prima parte: jus tamen omne auferunt Ordinario impediendi, quominus saecularis Clericus, etiam Parochus, ad profitendam Religionem a sancta Sede approbatam transire queat. In promptu esto cuicunque totum Caput *Duae sunt leges.* Caus. 19. q. 2. cap. 2., quod his verbis concluditur. *Quisquis igitur hoc spiritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber nostra auctoritate.*

Hisce innixa fundamentis prodeat ultima nimis longae disputationis conclusio. Doctrina Sancti Thomae, Romanae Declarationes, et indicati Ecclesiae canones meridiana luce clarius edocent nonnullas esse saecularium Presbyterorum vicissitudines, sive ex natura, sive ex legibus, sive ex statu provenientes, ob quas Ordinarius in illos jure suo uti nequit, licet Obedientiam spoponderint: quod aliunde in aliis casibus potest exercere. Neque mirandum de hoc: nam Ecclesia divinitus edocta cujusque juribus limites posuit, ne illos homines praetereuntes domus Dei coelestem ordinem perturbarent. Ergo Episcopus aequa lance jura scrutetur, ne agat contra illa: temporum, rerum, hominum vicissitudines perpendat, ne prudentiae leges contemnat: si de officio Sacerdotalibus humeris imponendo agatur, ad quod sustinendum totus homo se dedere debeat; etiam in temporalibus rebus illi provideat, tum quia *dignus*

est operarius mercede suà (Luc. 10. 7.) cum quia saecularibus negotiis Dei miles se implicare Apostolica voce prohibetur: ita Patris, Rectoris, Pastoris ardua munera implebit. Postea in Domino praecipiat, vel non, juxta prudentem sapientiam, qua caelitus donatus est, cum posuit illum Spiritus Sanctus, per missionem Petri, regere Ecclesiam Dei.

Subditus Presbyter autem meminerit ex dictis in prima et secunda quaestione quid sentiant Patres, Concilia, Canones de Obedientia, quam Episcopo suo post sacram manuum impositionem spopondit: meminerit se ad Sacerdotium in providum cooperatorem Pontificis sui promotum fuisse: meminerit denique juxta D. Gregorii sententiam obedientiae virtutem victimis jure praeponi, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Obediat, igitur, et subjaceat Presbyter ipse Episcopo patri, qui speculator ex munere in domo Dei pervigilat rationem redditurus pro animabus nostris: imitetur Paulum, qui licet experiretur durum contra stimulum calcitrare, ad ministerium assumptus illico petiit: *Domine, quid me vis facere?* ita nec otiosus neque inutilis erit: tandem si renuat, cum teneatur et possit, Pontifici suo obedientiam praestare, contremiscat audiens D. Clementem, qui Ep. 3. post med. ita clamare non cessat: *Quicunque Episcopis non obediunt, indubitanter rei et reprobi existunt.*

Haec sunt, venerabiles Fratres, quae circa triplicem quaestionem exhibitam, pro viribus theorice scribenda putavi. Si tam amplum et difficile argumentum, ut par erat, minime evolvi, inscientem scriptorem docete, hallucinanti parcite, errantem corrigite.